

maiore gelu quodammodo contracta locum ipsi cedit in quem expellendo admissam prius guttam, reddat bullam aquâ iterum specie leviozem.

XI. Neque verò dubium est, quin aër aquæ summitati incumbens (nec enim vasculum aut tubus in hoc casu Florentini experimenti totus aquâ plenus, sed ferè repletus dicitur) multùm hic conferat, utpote condensationi ex frigore aut rarefactioni ex calore multò aptior quàm aqua. Quo pacto etiam non solùm alteri circumstantiæ experimenti Florentini, & speciatim Phæn. nostro V. faciliùs satisfiet, sed insuper uni alteri que dubio, quod ex illa Schotti resolutione ultrò quasi propullulat, obviam iri commodissimè poterit. Etenim cùm aqua vasculi sive tubi ab ambiente gelida constringitur, cur hæc aërem intra bullam contentum non insimul ex contactu mutuo constringit, ut hic amplius in seipsum coiens aquam potiùs copiosiore intra bullæ suæ cavitatem admittat, quàm priùs receptam expellat? Et in posteriore casu, cùm aut à manu calida aut à Solis radiis aqua vasculi magis incalescit, idem que adeò calor aquæ etiam aëri intra bullam A concluso communicatur; cur non hic à novo calore rarefactus ac dilatatus expellat potiùs aquam jam admissam, in summitate aquæ tantò pertinaciùs hærens, quàm ut novam admittat inde que gravior reddita bulla fundum petat? Enim verò, si aquæ summitati tantulum aëris supereminere supponamus, quantulum illum pauculum quem bullæ cavitatis includit mole & copiâ facilè excedat (quod equidem in Phæn. V. largiter contingere adnotavimus) tunc in posteriore casu copiosior hic aër supereminens in amplius spatium rarefaciendo expansus ac dilatatus, fortiùs aquam intra bullæ collum compingit, quàm pauculus intra bullam, etsi pariter rarefactus, eandem extrorsum protudere valeat; ita ut illo vincente, bulla necessariò gravior evadat fundum que petat: In priore casu verò, cùm uterque aër ex contactu frigefactæ magis aquæ condensatur & coit, at ille supereminens tamen

Causa 5.  
Phæn.